



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

10. Julii. Dum pusillanimes dæmon animo cogitationes affundit, hic acceptorum jam à Deo beneficiorum memoriâ est erigendus. S. Ignat. ap. Bart. l. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

re, quid virium pares in futurum. Nemis
nem spes impinguat.

Si quælibet actio, quæ ad manum est,
perfecta exeat; si quod hodie boni agere
potes, in crastinum non differas; brevi
compendio ingentia tibi merita cumula-
bis, & regiâ ad perfectionem viâ non tam
ibis, quàm volabis.

Magna illa & heroica, ad quæ tu aspi-
ras, rara sunt, fortè nulla erunt. In mino-
ri cape experimentum, quid facturus esses
in magno. Sic miles exercetur in umbra,
quid agere debeat in arena.

10. Iulii.

*Dum pusillanimes demon animo cogitatio-
nes affundit, hic acceptorum jam à Deo
beneficiorum memoriâ est erigendus. S.
S. Ignat. ap. Bart. l. 4.*

Beneficiorum recordatio, & gratitudi-
nis materia, & novæ spei stimulus est.
Qui dedit hæc, dedit tot, nec illiberalior
factus est, nec pauperior. Infinitum exhau-
tiri nescit, nec immensum absorberi.

Ini, si potes gratiarum à Deo tibi colla-
tarum syllabum. Si vitam antea actam, si
diem hunc, si præsens momentum in exa-

men voces, parem iis numerum non invenies; totidem crede rationes, quibus ad novarum spem impellaris.

Plura possemus, si auderemus plura. Qui auxiliator est, Deus est; nec facultas illi deesse potest, nec voluntas; tanta non potes audere, quin majora, & possit omnipotentia, & velit infinita bonitas dare.

Pejor est bello timor ipse belli. Sape nos metus revocat, ubi spes impellere deberet. Scilicet umbris tremur ab eo, qui princeps tenebrarum cum sit, diffidentia caliginem nobis offundit.

II. Julii.

Si te demon ad peccandum impellere nitatur, gaudet fecisse molestiam, & animi serenitatem minuisse. S. Ignat. de discr. spir.

ETiam in minutis lucris exultat ortus, apud quem maximum vectigal est parsimoniam; ut nihil negligat, quod lucrificare potest. Si nequit ad majora impellere, sollicitat ad minora delicta; si nec ista sperat, turbat cordis malaciam, ut devotionem imminuat.

Suspecta tibi sit frequens mentis inrem-